

IMPERATOR CÆSAR
FERDINANDVS I.
PIVS, FELIX, AVGVSTVS,
REX GERMANIÆ,
HVNGARIÆ, BOHEMIÆ,

Dux Burg. Stir. Car. Carniol. Siles. VVirtembergiæ
Princeps Sueviæ, Marchio Morau. Lus., & Burgou.

Landg. Als. Comes Hausp. Tyrolis &c.



Xcipe totâ maiori etiam titulorum splendoribus Augustæ Frontis serenitate, plusquam tergemino nexu Tuum, Paternum, Avitum, Fraternalum, FERDINANDÆVM nomen Heroïna in Germanis FERDINANDIS, atque Hispanis, quos tuo coniugio feliciter iungis, gloriæ tanti nominis hæres. Illud tibi in hoc paterno PROAVO gloriosissimum, in materno TRITAVO accedente præsertim Catholici titulo religiosissimum, in AVO pio, Sanctissimum, in PATRE triumphali victo-

riofissimum, in FRATRE suavissimo auspiciatissimo magnificè sonat, & si cælum non præripuisset magnis alijs victorijs, illum Belgij liberatorem, hæreseos triumphatorem, domitorem perduellionis FERDINANDVM Austriacum PHILIPPI IV. Maximi tui Coniugis Monarchæ Fratrem, alijs etiam titulis felicissimum. Acclamate laureati, bellatores Germaniæ populi, triumphali nomini inter lauros, palmasque nascenti, & ad novos triumphos FERDINANDÆÆ Imperatricis posteritatis, iterum lauris, palmisque crescentibus incidite. Arridete hilari vultu pallidi Triones, vosq; maleficis radijs armata glaciales Vrse, & hyperborei Angues ad Augusti Nominis obsequiû mitescite. Subsidite tēpestatum prodromi Aquilones, liberato seditiosis turbinibus Germanico cœlo, dum Austri innocentes lenibus auris veris parentes, inter floreatos nimbos suavissimum FERDINANDI nomen expirant. Fuge Othomanna barbaries, & licet de Parthorum genere in sug non tela, sed arcus projice, Cede perduellio, ac turritum tot arcibus caput, totque promin-

cijs coronatum, Imperatori nomini venerabunda submitte. Dehisce hæresis, furialem tædam extingue, inclina anguineo capillitio cristatum caput, serpentemque turbam excute, atq; euome tandem, quam vbique exhalas, infernam mephitim. Ad Herculeum FERDINANDORVM Austriadum Nomen, expue dentes cerbereos liuor, frange taurina cornua arrogantia, demitte leoninos armos superbia, & euentilatas semper auris infelicibus iubas. Siste fortuna hoc nomine, veluti aureo clauo ferream tuam præcipitem rotam. Apagite naufragi in lacrymis luctus: abite homicidæ irarum furores, & omnia noxia mortalibus malorum nomina, vbi primùm sonat, ac veluti de cælo nascitur FERDINANDÆVM in Austriâ Nomen. Nullis notetur calculis ditissimum hoc Nomen, quàm gemmeis, quibus victus Oriens inter pretiosas suorum marium tempestates grandinet Imperatoribus Occidentis: Nullo literato metallo sculpatur, quàm auro ex hostium manubijs captiuo, cui victor nomen pretiũ addat: nullæ tabulæ illud ferant, quam adamantinæ æternitatis in Austriacis factis. Non communi tubâ, sed argenteâ, fama heroicum Nomen euulget; imò nec fama, sed Clio Heroum buccinatrix: soli plausus Oratores FERDINANDÆVM nomen eloquantur: solæ acclamationes Poetriæ canant: sola labara laureata exponant: sola trophæa triumphalia explicant: soli obelisci, columnæ, arcus æterni testes magnarum victoriarum publicent. Solæ tandem victrices Aquilæ cum iugalibus Cycnis pijsimum, & fortissimum Nomen sublime ad cælum extollant.

1503.

x. Mart.

In Hispania
ori-
tur.

Primus inter AVSTRIADAS FERDINANDVS sub Hispanico cælo natus, nouum sidus in Occidente exoriens, Hispanias illustrauit, Nomine, & sanctitatis titulis, & fortitudinis inter Hispanos Reges clarissimo; nam gloriosissimũ hoc Nomen sæpius summâ cum laude purpuram induit, sceptrumq; tractauit, in Sanctis, Magnis, & Catholicis FERDINANDIS coronatum. Austriaco in Hispania nascenti omnis gemella faultitas simul oritur; neq; enim alius præter patriâ, & sanguinem quærendus est horoscopus felicitatis. Cælestes domos vnusquisq; de suo sibi architectatur, ac fabricat, omnemq; mortalẽ, & immortalem fortunam: cælum suis moribus quisq; componit, & amoribus rotat, sapientiâ vbiq; Alstrorum, Reipublicæ imperante. Si placeret tamen ab anno, & mensẽ natali totius vitæ cursum auspicari, cum & ille inauguratus paulò ante à CAROLO cum toto sæculo, & hic Martius fuerit, iam poterant auguralibus tubis grandes in ipso ortu, grandæuæq; canis victoriæ. Quid vero ab Austriacis Aquilis fulminatricibus victoriarum, ac triumphorum expectari non debuit, vbi Castellanis Leonibus additæ, in aeris, siluarumq; victoriosissimis Dominatoribus, omnia regnandi, vincendique auspiciâ iungebant. FERDINANDVM Magnum Catholicum, in cuius aulâ ab ineunte ætate Aluaro Oso-rio, & Petro Nonio Gusmano nobilissimis morum, & literarum Doctõribus vsus, prima boni Imperatoris tyrocinia parendo posuit, & nominis Regij Aui, & vtriusque tituli, si minus Regnorum, hæres institutus, ita totum imitatione induit, vt FERDINANDVM semper deinde ipse exhibuerit & Magnum, & Catholicum etiam extra Hispaniam. Si non inuenisset in AVO, potuisset ipse de suo, FERDINANDÆO Nomini, tantam

Leo Castellani
Regni
insigne.

tam magnitudinis, & Religionis famam creare, vt adscribendum illi conderet Magni, & Catholici cognomentum. Eos demum sparfit radios in ipsâ vitâ Aurorâ hic Phosphorus etiam in Occidente, vt sperari possêt aliquando Hesperus futurus barbaro Orienti. Auo Catholico FERDINANDO ex hac vitâ migrante, & CAROLO fratre ad Hispanam Monarchiam inaugurato, ad Belgicâ Reipublicâ regimen traducitur, vbi a mâ bene administratâ prouinciâ succenturiante septemuiralis Senatus magna suffragia, nobili hoc titulo potius, quàm viciniâ locorum ad Germanicum Imperium propius accessit. Hinc Austriæ redditus, illâ, ac finitimis totius Germaniæ superioris, quâ Hauspurgicâ genti paret, Principatibus, à CAROLO Cæsare munificentissimè donatur, raro etiam inter fratres exemplo extra Austriacam domum, in qua sidera cælestium domorum inquilina imitantur Heroes immortales Austriaci, dum familiari veluti commercio, ac fraternis splendoribus ad orbis terrarum bonum semper conspirant.

Inde ANNAM Iagellonicam magni sanguinis, & dotis Heroinam, Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regijs filiam, ac Ludouici sororem, vxorè ducit felicissimis de more in Austriacâ Domo nuptialibus auspicijs, eodè regio hymenæo ANNAM FERDINANDO, & Hungariam, Bohemiamque iterum coniugantem, à morte LADISLAI Austriaci filij ALBERTI II. Honorifici Cæsaris, sexaginta annorum diuortio ab eadem Austriâ diuultas. ANNÆ dulcissimum, & nobilissimum nomen, sicuti semper gratiam sonat, fertq; secum omnem charitum chorum, ita nunquam sine purpurâ ac paludamento, sine sceptris coronisque, aut nascitur, aut peregrinum ingreditur in Austriacam Domum. Regia dignitas gemino ex Regno cumulatissima Imperatrici in Germaniâ Austriæ genti addita, ANNÆ nomini dotalis debetur. Vnde occiso in bello Turcico ad Mohetium Ludouico ad vtriusq; regni solium FERDINANDVS pluribus titulis vocatus fuit, & eodem anno Albæ Regalis, & Pragæ cum ingenti totius orbis orthodoxi plausu inauguratus, Regijsq; decoratus Insignibus. Olympiade vix elapsâ adiecit veluti impatiens fortuna tertiam FERDINANDO Romanorum Regi coronam Colonia Agrippinæ, vbi Sanctorum Magorum Regum corpora summâ veneratione coluntur, pridie illius diei, quam sacram regiâ diuinis Solis adorationi sub illustrissimæ Stellæ ducatu ab ipsis splendoribus EPIPHANIAM vocant, vt & ipse in adoratione trium Regum triplici iam regno coronatus, eodem sidere, serenissimo illius diei sole, irradiaret illustris, possêtq; religiosiori titulo EPIPHANIS cognomentum ab ipsâ ad imperium inauguratione sortiri. Aucta regnis, & vicariâ imperij administratione otia-ri non debuit tanta felicitas.

Primam expeditionem in Hungariam suscepit aduersus Ioannem Zapolium Transiluanix Vaiuodam, qui per eosdem dies, quibus Ferdinandus Rex Salutatus fuerat, Regis nomen inuaserat, ac tunc othomannico patrocinio fretus, & auxilijs Barbarorum instructus, Hungariam ferro & igni vastabat. Buda vrbs Hungariæ Princeps facili, & innocenti victoriâ recipitur: Vaiuoda Regno Hungarico, & Dacico Principatu spoliatur

*Nuptia
cũ Annâ
Iagelloni-
ca auf-
picatissi-
ma.*

1526.

1531.

*Dacica,
& Turci-
ca victo-
ria.*

iustissimis è caelo vindicijs, vt qui peregrinum Regnum per summum nefas occuparat, principatu patrio exueretur, & regij nominis amitteret, qui Turcicâ clientelâ Christiani nominis dignitatem abiecerat. Fulminaturnam est potius, quam pugnatum, Deo ferè dixerim manum suam commodante, Dei causa pignantibus. Dacica victoria Traiani triumpho digna in FERDINANDO optimis etiam Imperatoribus meliori, gradus fuit ad Turcicam, bonæ stirpis laureâ aliam germinante. Solymanus Africæ Dominus, Africæ domitor, Europæ vastator, Othomannorum Principum bellicosissimus, totum Orientem in Occidentem mouet, & vt vno prælio euertat, Viennam aggreditur, Regni Germanici caput, Austriadum Cæsarium sedem, & Occidentalis Romani Imperij veluti alteram Romam. Iam Babylonij Euphratis Incolæ, Ægyptij Nili: Scythici Tanais, Armeni Tigris Danubium bibunt, Othomannico ferro omnem Germaniæ sanguinem sitiente. Iam deuorata spe ingentis victoriæ barbarus Tyrannus, minas eructat. Sed Xerxes Othomannus Miltiadem Austriacum inuenit in FERDINANDO, & Greciam in Austriâ. Stetit Vienna inuictissimæ, & victoriosissimæ constantiæ, atq; Othomannicæ potentia repulsa æternum trophæum, stabitque semper ipso suorum magnorum Cæsarium solio, quod sustinet, in æuum firmata. Audire Vienneses Turcica tormenta, non sensere, & ex fulminalibus machinis in cassum tonanti ære crepantibus nihil præter fatuos ignes, & sterilis bombi infanas minas erupit; quasi contra ventos, non contra viros pugnaretur. Cum viribus arcus eneruantur, feritas cum ferro hebetatur, incendiarij ignes cum furore extinguuntur, soluitur cum testudinibus exercitus, altus cum cuniculis aperiuntur, ac totus frangitur in fragores stolidos, ignauosq; Othomannicæ Lunæ sonorus turbo, vnde rarefcente numero, ac frigescente audaciâ Barbarorum, post viginti irritos assultus totam illam Turcici imperij, auxiliariisque Scythiæ barbariem, solum aduentantis FERDINANDI Nomen, & fama, tubâ suâ classicum personans, & simul canens victoriam, in fugam ignominiosam, ac præcipitem egit, vsq; ad sui Helleponti fauces, desideratis à Solymano in eâ Viennensi obsidione sexaginta militum millibus. Cedite Germanici, Drusii triumphales, & si qua alia cum Constantinis, ac Traianis Imperatoriæ Gentis Augusta Capita, in Germanâ lauro vernastis. Minus valere ad reprimendos Barbaros victores vestri exercitus, quàm sola FERDINANDI Cæsaris fama, & magni nominis terror. En Thracius ille Mars Solymanus dum strages munitatur qualem triumphû dedit solâ FERDINANDI maiestate fugatus! Ita si quidem obiecere Austri Othomannicæ Lunæ nubẽ fulminibus sætam, procellisq; tonantem, vt statim ex oculis euanesceret.

Mirante adhuc Austrio Danubio FERDINANDÆAS victorias, alias Bohemus Albis obstupuit, ex bello Saxonico, quod cum Cæsare Fratre Ferdinandus feliciter gessit; vtrâq; fluminis ripâ illhinc CAROLI, hinc FERDINANDI triumphali Nomini plaudente. Et certè Saxonica hæc victoria ad Locheranam siluam cû hoste potentissimo, quem stipendiaria totius septentrionis hæresis sequebatur, nõ minus FERDINANDI gladio, quàm CAROLI sceptro adscripta est, cû hic Hispano auro, ille Germano ferro

*Victoria
bohemica.*

ferro pugnārit. Agnitum est ex illo bello quæ monstrā pariebat Africa Lutherana, & quò collinearent cum nupero illo musteo Euangelio, quod multis Germanis populis ebrietatem lethalem induxerat, concionales Rabulæ, ac sanguinarij hæretici calami, tantam calamitatem terris inferrentes. Compositā post Saxoniam debellatam Bohemiā, & VVirtembergiā Vdalrico Duci restitutā, iure successione & clientelæ referuato, alta pax FERDINANDVM excepit, in cuius sinu cum summa religionis, & prudentiæ laude floruit ab ipso Solymano gloria AVSTRIADVM æmulo, & orthodoxi eorumdem nominis hoste sæpius laudatus, ac regijs xenijs, è Bizantinis thesauris, tributisq; Orientis pretiosissimis excultus.

Interim CAROLVS Cæsar abdicato terrarum, mariumq; arbitrio, in cernendâ magnâ hæreditate summâ cum pietate erga totum Austria-cum Genus FILIO FRATREM æquat, illumque Hispanæ Monarchiæ Atlantem instituens, hunc Germanici Imperij Herculē, ingentem vtriusq; mundi molem ex humeris deposuit. Scilicet immensam in CAROLO vim opum, classium robur, exercituum numerum, nominis gloriam, cumulos triumphorum, regnorum pondus, non poterat vnus hæres sustinere. Ita tamen diuisit Austriaci orbis hæreditatem, vt omnia præter seipsū partiri potuerit, & MAXIMI titulum, nam in vtroq; totus CAROLVS vixit, & neuter non Maximus fuit. Imperatorem non mutauit Germania, sed nomen: iunctis nominibus distingui CAROLVS, & FERDINANDVS vix poterant. Nunc primum in Austriaco cælo gemini Cæsares lucida fraterna sidera stellant, & pro Castore Pollux beneficis terrarum orbi radijs regnat.

Adito imperio Ferdinandus ostendit ab eo nomine seiungi non posse fortitudinis, & magnitudinis titulos veluti primigenios, ab Hispanis Regibus ad Austriacos Heroas traductos, & nullum in Austriacis factis FERDINANDVM non Catholicum esse, & Magnum. Aliqui adhuc FERDINANDI I. Cæsaris nomini adiecere Impandi cognomen, quia visus est pro Numinis gloriâ, & patriæ salute caput suum deuouisse. Ego adderem & Pij, quia, vt in hanc epitomen contraham, immensam laudum molem, Romanam fidem Germano candore semper coluit. Summo odio ferebatur in hæresim, amore in Religionem, vnde, idem hæreticis infestus Cometes, & religiosus viris faustissimum sidus effulfit. Illitam Biblijs à Luthero versis Hæreseos pestem, ne vterius serperet, igni damnavit. Maluisset tortor ignis authographum punire, ipsum temulentum entheati *apostata* caput, è quo auctore pseudobiblia, illa prodierant, & eas notas inurere, quas stigmaticus trifurcifer merebatur. Illâ siquidem tantum luce cum suis libris dignus erat piceus trium literarum venerens, non venerabilis Doctor Luthernus, quam carnifex ignis ederet. Ex aduerso sacras religiosorum hominum colonias vndique adduxit, & inter alias recens natam Societatem IESV in Germaniam aduocauit, augustisq; amoribus, ac beneficijs impensè fouit. Hostium suorum hostes non amare non poterat, qui, quos bellis euenteret ipse, libellis proscinderent, tenuiori quidem stylo, sed fidâ manu, & vbi-

*Carolo
Cæsari in
Imperio
succedit.*

*Ferdinã-
di singu-
laris pie-
tat.*

que

que etiam in pace sine ullis inducijs pugnante. Illi homines semper placere, qui eundem, quem ipse, sequerentur Ducem. Quemnam autem Imperatorem sequeretur FERDINANDVS Imperator, satis aperuit in consiliis suorum tessera symbolica (vulgò *Impressa*) in qua Aquila mundo insidens, Crucemque in pectore gestans pro FERDINANDO sic loquebatur. CHRISTO DVCE. Hanc incredibilem benevolentiam erga Ignatij familiam, totamque nostram gentem hæreditariam, transmisit Augustæ Posteritati, successoribus præsertim FERDINANDIS cum tanto propagatam auctario, vt explicari nequeat quantum IESV focij debeant FERDINANDÆO Nomini. Debent æternum quidquid ipsa societas est in Germania, & vbiq; locorū. Imò tota quidquid loquetur & agat, si minus per Panegyrico, saltem pro Eucharistico erit omnium gratiarum maxinis FERDINANDIS. Scio beneficiorum in nostræ nationis homines FERDINANDORVM Cæsarum Imperatoria congiaria, sonorâ tubâ digna esse, non hoc stridenti calamo, sed malo vitio verti gratam orationem, quam ingratum silentium. Proximi in terris Deo Cæsares, id quod fauentissimæ ipsorum gratiæ, ac beneficentiæ rependitur, More Diuino ex amoris mole non rei, æstimabunt. Eò deinde peruenit inusitati ardoris in Religionis causâ FERDINANDVS Cæsar, vt audiens magna detrimenta, quæ ex lutheranâ hæresi patiebatur christiana Respublica, in febrim inciderit, hoc prodigioso morbo demonstrans, se pio quodam vitali calore viuere, qui solito acrius circa cor ardens, febrim hanc pietatis attulerat. Visus est ex Sancti Stephani Apostoli Regis coronâ, quæ illi in ipsa inauguratione, ad Hungaricum regnum imposita est, omnium virtutum radios haurire, & omne, præsertim Religionis, fastigium occupare. Obitum suum præfagiens edixit ne quis eum Regis, Cæsarisque titulis appellaret, sed solo FERDINANDI Nomine. Verum elusa est christianæ demissionis pia simplicitas, tum maxime attollendæ, ex Euangelij oraculo, cum humiliter subsidit. Iam enim FERDINANDI nomen supra Cæsareum erat, ac regium titulum. Hac fortitudinis, & pietatis laude imperans FERDINANDVS I. dignus FERDINANDO II. nepote Auius, ac III. Proauis, annorum tandem, ac palmarum pondere grauis post sexenne imperium terras reliquit eo ipso triumphali die, quo S. Iacobus Sospitator Hispaniæ contra Aftros Sarracenos, & Mauros gloriosissimus, per orbem orthodoxam solemnè honoris institutione colitur, vt FERDINANDVS Austriacus Othomanorum Turcarum, & Sarracenorum Asiaticorum, atque Europæorum terror FERDINANDI Aui Regis Catholici de Mauritanâ barbarie toties victoris, nominis & gloriæ hæres, quasi in partem triumphi vocatus, cælesti capitolium triumphator adiret, Auspiciatissimus vel hoc ipso Nomine magnis deinde successoribus FERDINANDIS. Ite FERDINANDI Cæsares, & aurea date signata pretio huius Nomini FERDINANDÆA sæcula. Ite anrea FERDINANDÆA sæcula, sine villo veltri & FERDINANDORVM Aultriadum, sine pretiosissima. Interim dum hæc sæcula fluent (fluent autem in æuum) FERDINANDE, qui primus huius nominis Augustos apices in Austriacos fastos iutulisti.

Obitus.

1564.

Vir. ec. 5.

Semper bonos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

FER-

119

FERDINANDVS I.

Plausus.

*Acclamator Orbis terrarum plaude
FERDINANDÆO nomini
nunc primum inter lauros, palmasque nascenti,
Et merenti triumphum,
Saltem plausum impende.
Nullum maius elogium plausu,
Qui encomium est triumphale.
Nemo expauescat ferro armatū FERDINANDI nomen:
Intus est aureum;
Sed armari debuit ferro bellatore,
Nomen multarum victoriarum parens.
Imò ferro nominis alchimia virtutis Austriacæ
In aurum mutato,
Ex ferreo FERDINANDÆO nomine
Prodeunt Imperatores aurei.
Ad eò aureum est hoc, quod videtur ferreum, nomen
Ut sit tota Austriacorum nominum hereditas
Cum Magni, & Catholici Auitis Titulis,
Ab Hispano Rege ad Austriacos Heroes Nepotes transcripta.
Fert etiam hoc nomen Austriacis
In ipso primæ literæ auspiciatissimo etymo
Famam inclytam, Fortunam Augustam,
Felicitatem Cesaream,
Fortitudinem Triumphalem,
Formam Heroicam, Fidem religiosissimam.
Ut semper orbis plaudat triumphali nomini
Implete Io omnes Caesarum fastos
Et pretioso nomine
Aurea Io cudite sæcula FERDINANDI.*

SYNOPSIS GENEALOGICA
A FERDINANDO I.
AD MAXIMILIANVM II.



FERDINANDI I. numerosa, & felicissima proles magnis nominibus Austriæ annales illustravit. Tot fuere Liberi Augustorum Parentum, quot ab astrologis in australi cælo astra censentur. Ita stellarum cõfõna FERDINANDVS, supra Cæsaream radiavit, & regiam. Ex ANNA Jagellonica hoc ordine nati sunt.

MAXIMILIANVS II. Cæsar.
FERDINANDVS II. MAGNVS.
ELISABETHA IX.
CATHARINA IX.
ANNA V.
MARIA III.
MAGDALENA I.
ELEONORA II.
MARGARITA V.
IOANNES III.
BARBARA I.
VRSVLA I.
HELENA II.
IOANNA III.
CAROLVS II.

MAXIMILIANVS II. paternæ rei hæres Par fortunæ suæ Cæsaris, & MAXIMILIANI nomen pro dignitate sustinuit. FERDINANDVS II. Magnus Tyrolentiũ Princeps, Alfatia, Burgouia, aliorumq; principatum Austriarum ad suam nigram, CAROLO Cæsari in bello germanico strenuam nauauit operam, sicut & PATRI, cum Prorex Bohemiæ illam administraret. ELISABETHA Sigismundo II. Poloniæ Regi nupsit. In hac Heroïna dicunt formam cũ virtutibus de pulchritudine contempsisse. Magnus vtrinque accessit alternantibus radijs splendor ex forma virtutibus, ex virtutibus formæ. CATHARINAM primæ nuptiæ Francisci Gonzagæ Mantuæ Duci, secundæ Poloniæ Regi iunxerunt. ANNAM in comitijs Ratisbonensibus Albertus cognomento Magnanimus Buaruæ Dux vxorem duxit, MARIAM Vuilhelmus Religiosus Buarus, ELEONORAM Gulielmus Gonzaga Friderici ex Margarita Paleologa Marchionissa montisferrati filius, BARBARAM Alphonsus II. Ferrariæ Dux, IOANNAM Franciscus magnus Hetruriæ Dux. MAGDALENA in cænobio nouo Halæ ad Oënum a se extracto, vota sponso Numini virginitate, sanctissimè vixit, literis omnibus, quibus fundata, Halensi academia vitam ac domicilium dedit prædicanda. VRSVLA vix saluata a limine vitæ ad cælum abiit Infans. Idem sortitus est fatum IOANNES in prima infantia decedens. MARGARITA, & HELENA dignam Heroïnis Austriacis vitam traduxere.

CAROLVS Dux Stiria, Carinthia, Carniolia, & Goritia Comes, Austriaci stemmatis propagator, Princeps virtutum omnium numeris absolutissimus extitit, acerrimus hæreseos hostis, futurus etiam exterminator, si in alia tempora incidisset, & quod magnum est instar omnium elogiorum, ex Maria Bauara Alberti Magnanimi Buaruæ Ducis filia, FERDINANDI II. Pater. FERDINANDI III. nunc felicissimè in Solio Germanico Regnantis Auus, FERDINANDI IV. Hungaria, & Bohemiæ auspiciatissimi Regis, & MARIE ANNÆ Reginæ Hispaniarum potentissimæ Proauus, Imperatricisque nunc totius familiæ, cui ætæ gloriosissimum deuoueo, felicissimus Auclor. Hoc nomine non solum Septentrio, sed Oriens, Occidens, & Auster, totusq; orbis terrarum CAROLO multum debet, a quo habuit tantum felicitatis,

IMPE.

